

**Dissertationem solennem de errore diaetae in potu / praeside D. Jo.  
Gothofredo Bergero ... p[ublice] p[roponit] Joannes Rugenwald.**

### **Contributors**

Rugenwald, Johann.  
Berger, Johann Gottfried von, 1659-1736  
Universität Wittenberg

### **Publication/Creation**

Vitembergae : Prelo viduae Gerdesianae, 1718.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gsgvw292>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Q. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO

DN. FRIDERICO AVGVSTO

ELECT. SAX. HEREDE

DISSERTATIONEM SOLENNEM

DE

ERRORE DIAETAE

IN

POTV

PRAESIDE

D. IO. GOTHOFREDO BERGERO

ARCHIATRO REGIO, COLLEG. MED. SENIORE

ET PROF. PRIM.

PRO LICENTIA

IMPETRANDI SVMMOS IN ARTE SALVTARI

HONORES

P. P.

IOANNES RVGENVVALD

GVSTROV. MEGAPOL.

A. D. XIII. IVL. c15 l5cc IX.

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

---

EDITIO SECVNDA.

---

VITEMBERGAE, PRELO VIDVAE GERDESIANAЕ. 1718.



DI. FRIDRICO AUGUSTO

ERRORE DIALECTAE

POTV

D. IO. GOTTFRIEDUS

PRO LICENTIA

IOHANNES RUDOLPHUS

HAERLE-ANTHELI

Edito: 1700



DE  
ERRORE DIAETAE

IN

POTV

DISSERTATIO SOLENNIS

---

I.

**S**atis quidem intelligentes sciunt, multorum  
originem morborum iis sæpe rebus nasci,  
quibus cum sanitatem custodiri, morbos-  
que averti opinemur, ita paulatim assuesci-  
mus, ut mala consuetudine decepti, nec lædi nos  
sentientes, multa nobis mala, & maturam senectu-  
tem, mortemque ipsam consciscamus. Harum in  
numero rerum pauci animadvertunt, illum esse  
admodum vulgarem in diætâ errorem, quo potus  
inter prandendum cœnandumve prodesse credi-



tur, sitim non sedans, sed excedens, & cibum longe multumque superans, ita ut, cum is unius est libræ, hic plurium esse soleat librarum. Quam tamen sanitatis corruptelam hoc minus ferendam esse censemus, quo magis ea non modo vulgus, & quorum membra agitatione corporis recalescunt, sed etiam eruditos ac sapientes, & qui vitam agunt sedentariam, ita duci videmus, ut eam victus rationem, tanquam vitæ & valetudinis custodem, laudent, aliisque observandam proponant. Cum enim vita omnis in humido consistat, & vivere nostrum sit siccescere, potu paulo largiore pugnandum esse, volunt, adversus ficcitatem, & custodiendum ac instaurandum vitale humidum. At, quod illorum pace dixerim, non mediocriter offendunt, neque vim naturæ & leges conservandæ sanitatis ac modum perspiciunt, quibus sic persuasum est. Quod ut appareat, videamus primo, quid potus ad sustentationem vitæ conferat, ex quo deinde, quantum eius capiendum sit, quidque is paulo uberius boni malive, afferat, facile constabit.

## II.

**P**Rincipio illud, opinor, unicuique patet, qui modo aliquam sui notitiam habet, eodem motu



tu cordis atque circuitu sanguinis, quo vivimus & valemus, vitam effluere, nisi in ejus locum, quod istius vigore motus perpetuo e corpore effluit & decedit, novus opportune succus succedat, & eundem, quo vita fugatur, motum fervet ac reficiat. Constat etiam, succum hunc ex cibo confici, tritu oris, ventriculi & intestinorum, ac ministerio salivæ & humorum reliquorum, in illum alimentorum canalem corrivantium, ita conciso, commolito & soluto, ut iustum idoneumque acquirat liquorem, qui per vias lacteas ad cor permanere, & pulsu huius per pulmones vasæque cuncta in omnia membra tribui, ac irrigare corpus universum & vegetare, atque abire in sanguinem & succos, alendo, gignendo, sentiendo, movendoque utiles, possit. His nihil opus est addi aerem in pulmonibus, cum quicquid eius in sanguine inest, id omne cum isto, quo alimur, succo adducatur, neque sit necesse, ut eius pars aeris, qui spiritu in pulmones ducitur, venis horum concipiatur, ad interiorum, quæ hucusque placuit, sanguinis partium agitationem: quam quippe ab ipso vitali sanguinis circuitu pendere, iudicabimus, si recte naturam sanguinis & mechanicam viscerum & vasorum virtutem æstimaverimus. Ad sustentandam vero fluxam



hanc & momentaneam vitam cibo pariter potu-  
que opus esse, is nobis inditus indigentiae sensus,  
quem famem ac sitim, & uno appetitus nomine  
appellamus, nos admonet, quo, si ex naturae or-  
dine omnia fiant, desiderium capiendi primo ci-  
bi, mox deinde potus, in nobis excitatur, ut, quod  
vel ficcioris, vel humidioris substantiae dissipatio-  
ne amissum periit, hoc uno victus tempore intro-  
ductum instauratumque restituatur.

### III.

**A**C ideo primum quidem cibum, cunctis ani-  
mantibus, quae viviparorum numero continen-  
tur, communem, diuina sapientia potabilem esse, &  
uno lacte contineri, voluit, quo non solum lactens in  
gremio matris puer, sed &, quisquis exit in lucem,  
iussus est contentus esse, dum, eo deficiente ali-  
mento, dediscere naturam, & cibo potuique as-  
fuescere alii discat. Vt vero cibus initio rerum,  
in illa scilicet innocenti orbis infantia, simplex ad-  
modum fuit ex fructibus, quos ferebat terra, &  
ut mater, suppeditabat: ita vix alius quisquam, a-  
qua simplici, vel praesentior, vel salubrior, potus  
extitit, quo proinde contenti victu, priscis tem-  
poribus homines, quia non plus, quam natura po-  
stula-



stulabat, intra corpus ducebant, & sobriam valde degebant vitam, eandem diutissime integram ac incorruptam produxerunt, raroque morbis, at longo plerique senio confecti, obierunt. Sed cum vini usus accederet, abusus etiam potus accessit, nec ita diu duravit, id quod *Diodorus lib. 1. cap. LXX.* Aegyptiis in more positum fuisse, scribit, ut simplici uterentur nutrimento, certamque mensuram vini biberent, quæ neque ad ebrietatem faceret, neque ad repletionem. Nam fallit voluptas præter opinionem, & titillans linguam & palatum, caloremque ciens, potio sitim non levat & restringit, sed accendit, efficitque adeo, ut multo liberalius hauriatur, quam, quæ ad necessitatem biberetur, aqua. Quo deinde factum est, ut quem natura nobis saluberrimum ad potum simplicem aquæ liquorem dedit, gentes & nationes aliæ post alias fastidirent, & vel cum vino commutarent, vel miscerent tamen, aut, ubi vinum minus suppeteret, vini vicarias potiones arte ac fermentationis ministerio conficerent, adeo, ut vix ullus hodie, id quod mireris, paulo moratior populus sit, quin carius & pretiosius bibere concupiscat, aquæve laticem, per se salutarem, frugibus & fructibus variis, rebusque aliis, quibus gulam irritet, sitimque



que moveat, & cerebrum tentet, mentemque ipsam feriat, inficiendi & adulterandi novas quotidie artes quærat, & veteribus addat, quarum non paucas *Io. Henr. Meibomius* prodidit in *Comm. de Cerevis. vet. & potibus ac ebrimain. extra vinum aliis*, qui legi meretur.

## IV.

**H**Viusmodi igitur potuum generibus cum per se quivis facile indulgeat, nec fere sit, qui hic vel modum teneat, vel monitore egeat Medico: mireris merito, potum zythi in quovis victu largiorem, ad vitam bene agendam ac tuendam valetudinem, præcipi, eamque opinionem multorum animis tam penitus insitam esse, & quotidie crescere, ut vix evelli ex iis possit, & si aliquod, in doctis præcipue, ac vitam sedentariam agentibus, symptoma hypochondriacum ingruat, id, nisi quis ultra mensuram potet, parciori illico potui tribuatur, nec fere magis commodum illius remedium putetur, quam liberalior zythi in victu potatio. Quem quidem errorem non difficulter cognoscemus, si hos esse usus potionis intellexerimus, ut organa fitis, os, lingua & fauces, cum via cibali idoneo humore perluantur, eoque cibus solidus & aridus,



aridus, in ore mansus ac emollitus, iusta proportionem in ventriculo diluatur, & lique scat facilius, atque ad sanguinem deferatur, &, quod deperditum humidioris substantiæ fuerat, ac evehendis salium terræque ramentis, & usibus servit aliis, corpori reddatur. Hinc enim perspicuum est, tantum potionis adhibendum esse, quantum sedandæ siti satis est, quo humor aqueus reficiatur in corpore, non ultra modum cumuletur atque adaugeatur. Apparet etiam, pro ipsius ratione cibi sumendum esse potum, cum suam quisque cibus humoris partem habeat, eamque nonnulli tantam, ut sufficere non minus potioni possint, ac sæpe fames una sitisque ex iisdem mitigetur, ac expleatur interdum, uti sunt omnia iurulenta, &, quæ liquorum specie sumuntur, alimenta, itemque ex arboreis fructibus plerique, quibus comestis, multi sæpenumero nullum ulterius potum requirant, nimirum sedata ex iis, cum fame pariter siti. Qua ratione reperias, qui, cum iusculis & cibis elixis vires reficiant, omnino nihil bibant plures dies, & tamen bene valeant, neque sitiant. Quod si minus insit in cibo succi, quam ut satis esse possit utrique, quærendum esse, patet, ex potione utilem ac necessarium corpori humorem.

B

V. Nam



## V.

**N**Am ideo natura fitim nobis indidit, ne potum negligeremus, sed ut eadem admoniti, eius penuriam humoris mature reficeremus, sine quo neque circuitus sanguinis, neque secretion-  
es derivationesque succorum consistere possunt. Nimirum quisquis sanguinem, sive in arteriis, sive in venis contentum, contemplabitur, facile sibi persuadebit, eum, præter aerem, tribus potissimum partibus constare, videlicet aqua, micis imbuta salium, ac gelatina, utraque limpida, quas coniunctim serum & lympham appellamus, & intertextis huic, eaque irretitis globulis pingui-  
bus, pellucidis, subluteis, atque purpureis, qui colorem sanguini nomenque largiuntur. Has enim confusas permixtasque sanguinis partes non cogitatione modo distinguere, sed oculis quoque licet internoscere, quando sanguis, ex vasis emissus, in illas dissimiles partes mox sua sponte diffluit in vase, quo excipitur, postquam cessavit conceptus per circuitum impetus, & singulæ partes in loca feruntur, quæ suis gravitatibus conveniunt. Atque id quidem clarius vulgari hoc contritoque apparet experi-  
men-



mento, quo sanguis, ex secta vena in aquam tepidam missus, partim in eius molem concedit, eamque adauget, partim vero suarum nexu & cohæsione partium gelatinosarum coactus, in grumos & lentorem quendam, albumini ovorum similem, & agitatione in fibras, lanæ instar carptæ implicatas, & reticulatam membranofamque compagem concrescit, innatantibus aquæ rubentibus globulis, unde sanguineus in eo color oritur. Quodsi harum inter se partium comparatio fiat, aqueam ad reliquas se fere habere, ut tria ad unum, comperiemus. Id si minus experimentis constaret, de quibus legi merentur *Boyle, tr. de nat. sangv. hum. & Gulielminus, Exercit. de sangv. nat. & constit.* ipsa nobis ratio suggereret. Cum enim aqua vehiculum sit partium sanguinis ceterarum, quæ crassiores & minus mobiles atque concretionis capaces, nec unus omnes ponderis sunt, his omnino copiosior esse debet, quo tota sanguinis massa ad fluxionem apta sit, atque a corde in omne corpus distribui, per canales vasorum ductusque admodum multos, in cunctas partes corporis pertinentes, & succos largiri varios, roreque suo rigare salubriter fibras vasaque membrorum minima, ac demum emittere



micas salium, & ramenta terrea atque sulphurea possit. Sin aquæ minor copia in sanguine foret, quam quæ commode capere & vehere partes crassiores & consistentes possit, minus ille fluidus, & circuitioni derivationique idoneus existeret. Vt vero aqua ceteras sanguinis partes superat aptasque reddit, ut solo motu cordis & pulmonum atque arteriarum dividi ac tribui per corpus possint: sic ita his involvitur ac irretitur, ut utriusque generis partes ad iustam sanguinis crasim constituendam, ac comparandum liquorem, ad circulum orbemque in corpore conficiendum, eoque præstanda omnia vitæ munia accommodatum, ipsius sapienti naturæ instituto, conspirare videantur. Ex quo facile quivis intelligit, non minus copiam & ubertatem, quam inopiam, aquæ in sanguine noxiam esse, eamque illius vim, quæ ceterarum complexu partium recipi & coerceri nequeat, crasi humorum æque ac motui, totiusque vigori corporis non uno modo officere.

## VI.

**I**Am vero cum exploratum sit, ad custodiendam sanguinis crasim eam humoris aquei copiam,



am, quæ neque deficiat, neque abundet, requiri, eamque, si minus ex cibo suppetat, a potu petendam esse: id quidem in promptu erit ostendere, quod pridem *Sanctorius* prudenter annotatum reliquit in *Med. Stat. S. III. Aph. LXIX*, *potationem hisce seculis in temperatis quoque impropor- tionatam esse, cum cibus illorum soleat esse duodecim unciarum circiter, potus quadraginta, & ultra.* Hac enim, & maiore, mensura potum & svaderi, & capi etiam, res apud nos quidem nota satis est ac pervulgata. Cumque non minus constet, nos libenter iusculis refici, & carnibus elixis atque aliis huiusmodi cibis uti, qui vel suo, vel alieno madidi humore, succum fundant aquosiores, &, relictis alvo fæcibus, ad sangvinem mittant: nullo, patet, labore opus esse ad demonstrandam sententiæ, quam ex *Sanctorio* laudavimus, veritatem. Nam si eam aquæ partem, quæ secreta a iusculis, & carnibus, cibusque reliquis, permanat ad cor, cum ista potus quantitate coniungamus, & utramque cum parte chyli altera & concretionis capace, quæ gelatinam lymphæ & globulos sanguinis præbet, conferamus: hanc ad illam se habere, ut unum ad octo & ultra, ac plerunque decies ab ea superari de-



prehendemus, quod quemadmodum ad tuendam vitæ incolumitatem conducat, nunc disquirendum erit.

## VII.

**S**Ed priusquam ea de re dicamus, dispiciamus tantisper, quid ea potus copia in primis viis, quæ sunt sedes & fundamentum constituendæ valetudinis, valeat. Hic illud certum habeo, quod supra indicavi, cibos in canale alimentorum & attritione simul & dissolutione confici, ope motus maxillæ inferioris, ventriculi & intestinorum, ac ministerio perspirationis & succorum, qui ubique in illo canale, ab ipso aditu oris ad ultima usque intestina, ciborum massæ admiscuntur. Ex quo sane liquet, pro ratione constitutionis corporis, & ciborum, maiorem minoremve potus mensuram ad eosdem diluendos requiri, & tantum abesse, ut, quæ multorum est opinio, illa potus moles ad promovendam ciborum confectionem utilis ac necessaria, ut ea potius illi corporis actioni quam maxime inimica & noxia sit censenda. Nam si ea salivæ & succorum ceterorum, qui ex sanguine ad ventriculum & intestina derivantur, vis & copia cum illo humore, qui



qui ex cibariis iurulentis, & alimentis succosis ac humidis aliis accedit, coniungatur, macerandis quidem, dissolvendisque, ac eliquandis, alimentis ipsis per se fluidis vix novam ullam humiditatem, & parum adeo potus opus esse, putabimus. Præsertim, si recogitemus, ab illa cibus circumfusa, copiosa potus materia non minus impressionem illius & attritum, cibus adhibendum, quam vim salivæ & perspirationis interioris dissolventem, debilitari & elidi, ac subsidentibus liquidis, utpote gravioribus, in eisque fluctuantibus solidis, satis exactam alimentorum divisionem fieri haud posse, sed partem potus, pyloro proximam, una cum innatante cibo, crudo æque ac cocto confectoque, per laxati illius ianitoris hiatum evehi præpropere, partem vero, cum portione cibi reliqua in ventriculo longius hærentem, robur eius & tonum paulatim solvere ac enervare, & varias subire corruptelas, atque pro assumptorum varietate cruditates varias relinquere. Non potest enim non copiosa adeo, & ventriculum plus æquo replens ac dilatans, humiditas tonum tunicarum eius, tum angustum alias fibrosumque pylori annulum, sensim laxare & exolvere, imbecillitatemque producere, quo minus deinde ven-  
tri-



trculus contrahere sese, & complecti cibos, munusque implere recte suum possit. Vnde non solum inter edendum, cum multa potio affatim ingurgitatur, plane parata esse fluctuatio, certissimus immodicæ potionis, & languentis mucosis aquosisve sordibus ventriculi, index, sed etiam post cibum diu nonnunquam cum continuo fere ptyalismo durare, & plura incommoda, malaque alia supra alia, succedere solent. Quæ si attendamus, merito querelas ventriculi audiemus apud *Bernhardum Svalvium* p. 155. *Ceterum, inquit, sensim ac modicis intervallis cibus superinfuso liquore macerandus, ne nimio scilicet fluitet, sed moderato madescat potu. Et tolerantia mea cuius securissimum bibendi modum præscribit. Verum, proh dolor! omne etiam circa potum in præcipiti vitium stat. Iugiter ille quidem plerisque continuatur, etiam ubi coctionem inchoavi, eo interpellante fatigor, turbor, & serius, minusque exacte munus meum exsequor: hinc morborum seminaria. Quin primo mensæ accubitu ab ingurgiato avide potu prolui latera mea sæpiusculæ sentio: unde postmodum fluctuare cibum contingit. Non reluctor quidem libenter semel assumptæ bibendi consuetudini. Nec male prope*  
*cænam*



*cœnam elui celebratæ coctionis reliquias, quæ for-  
san adhærescunt, assero. Verum quod per afflu-  
xum potus continuum os meum sinistrum ferme  
neutiquam exacte claudi possit, id est, quod con-  
queror: adeo autem ille mos viget, quasi id unum  
omnibus cordi esset, ne non ego male habeam.  
Hactenus ille.*

## IIX.

**N**Eque vero fat est ita ventriculum de potus u-  
bertate queri nobiscum & expostulare, sed  
suas etiam, ac merito quidem, intestinorum que-  
relas esse, audias. In his vulgo multum potus  
multus, distribuendo diducendoque per corpus,  
alimento prodesse creditur. Neque dubitandum  
est, potu hæc iuari modico, ubi perfundendus  
cibus ac rigandus est. At vero quantum hic pro-  
desse in tempore una cum cibo sumtum potionis  
modicum, tantum & multo plus nocere nimium  
potest. Siquidem affusus intestinis potus cibum  
nondum satis elaboratum & confectum secum ex  
ventriculo abripit, & tum adstringentibus se inte-  
stinis, tum relaxantibus, nunc mole sua & impul-  
su, secundo veluti amni, defluit, alvumque præ-  
cipitat, nunc difficilius provolutus, & immorans  
C diu-



diutius hypochondriis, atque huc illuc compul-  
sus, molestas fluctuationes parit, & innatantes  
sibi cohærentes adhuc ciborum partes, sive cru-  
ditates, parietibus intestinorum affigit & relin-  
quit, quæ villis interioris tunicæ implicitæ ac de-  
tentæ, in pituitam abeunt, infarcientem intestina,  
ac sæpe toti eorum tubo mucum intus obducen-  
tem. Ex quo deinde congestæ materiæ appara-  
tu & luxuria motus illorum languescit, & flatus  
emergunt, qui quaquaversum impulsî, varie tu-  
multuantur, & cum intestinis coerciti, exituque  
prohibiti, in se ipsos revolvuntur, loquaces fiunt,  
& βορβορύζουσι, sive murmura & rugitus, coa-  
xantium more ranarum, sæpe terribiles, excitant,  
singularim autem in fornicatis atque flexuosis co-  
li cellulis altum tonant, & nunc carceribus suis  
laxantur, & qua data porta ruunt, nunc magna  
copia congregati, vel strictioribus conclusi am-  
bagibus, infremunt intra claustra, & sui vi elate-  
rii capaciores quærentes locum, modo lumbos,  
modo hypochondria præcordiaque tendunt ac  
divellunt, & tumores ac cruciatus varios pariunt,  
qui dolorum specie nephriticorum ac splenico-  
rum rudioribus imponunt. Quæ inter alios ani-  
madvertens *Fienus lib. de Flat. cap. VI*, pruden-  
ter



ter omnes, qui colicis doloribus obnoxii esse solent, monet, ut semper quam scrupulosi circa potum cerealem sint, si modo valetudinis suæ rationem habere velint.

## IX.

**A**Tque hæc quidem copiosa potus materia in intestinis efficere solet, ex quibus deinde ultra tendens in corpus, & progrediens in vasa, maiori, quam satis est, copia ad sanguinem transit, nec chylum modo nimis aquosum, sed & crudum tandem impurumque secum defert, atque in reliquum corpus diffundit. Nam fieri aliter vix potest, quin tam copioso & diuturno aquarum transitu, ex intestinis usque ad receptaculum chyli ductæ, ac directæ, viæ lacteæ paulatim labefactentur, & laxatæ nimium atque ampliatae, crassum cum tenui admittant, quod alioqui viis istis adhuc integris, ab ingressu arcetur, & cavo intestinorum relictum, in fæces abit, alvoque eiicitur. Hanc facilem vasorum lacteorum mutationem inter alia vulgatum hoc experimentum declarat, quo, si cani famelico carnis coctæ aridæ & sine ullo humido unciae aliquot exhibeantur, & post horas quinque intestinum ipsius duodenum per-



foretur, ac per intrusam syringam aqua tepida, indigo trito bene tineta, ad integram libram immittatur, & clauso foramine, canis sibi relinquitur, tribusque horis exactis, venter eius secetur, venæ lacteæ, chylo cœruleo turgidæ, compareant, claro satis documento, eas venas, maxime si ab ulla causa ita labefactantur, ut illarum meatus, alioquin insensiles, plus æquo patefiant, non liquores tantum coleratos, sed crassiusculos etiam pulveres, & facile & copiose admittere.

### X.

**I**Ta vero ex intestinis intro in cor & vasa delata uberior potus materia superfluis ea humoribus implet, & serosum nimis sanguinem reddit, qui cum aquosam omnem materiam complecti nequeat, eandem elabi ac libere evagari finit, quæ deinde partim per tabulos renum potissimum, præ torrentis impetu adaperptos magis & reclusos, emittitur, partim in vasis fluctuat, & novis quotidie auctibus crescens, eam humorum colluviem parit, quæ per plures demum meatus, quibus natura exitum patefecit, viam quærit & invenit, nec raro in cute efflorescit. Hinc enim urina non tantum copiosa redditur, eaque aquosa sæpe, & cruda,



cruda, ac demum crassa, sed etiam sudores fiunt, qui, si minus interdiu observentur, noctu consequuntur. Nec enim fieri aliter potest, quin abundans in vasis aqua, cum assiduo motu cordis & arteriarum per glandulas cutis evomitur, sibi vias patentiores reddat, unde tum ob materiæ vim & copiam, tum ob laxatas patentesque glandulas, necesse est multo corpus sudore manet, eoque turbetur illa tam salutaris ac necessaria universi corporis perspiratio, quæ maxima est omnium corporis excretionum, quod quantum vitæ damnum afferat, bene *Sanctorius* agnovit, l. c. S. I. Aph. 21. 22. 23. 24. *Perspiratio, quæ salubriter auferit e corpore multum, idque inutile pondus, non est, quæ cum sudore fit, sed ille halitus invisibilis, qualis hyeme uno die naturali ad quinquaginta uncias, & ultra potest exhalare. Invisibilis perspiratio fit visibilis, vel quando nutrimentum est nimium, vel quando calor langvet, vel ob motum violentum. Perspiratio insensibilis, iuncta cum sudore, mala: quia sudor fibrarum vires diminuit: dicitur aliquando bona, quia a maiori malo divertit. Quanto subtilior, & sine madore est invisibilis perspiratio, tanto salubrior.*



## XI.

**Q**Uodsi aliarum partium ductus & canales, in quibus discessus quidam feri & secretio fit a sanguine, respiciamus, hos eadem illa uberiore potus materia scatere, comperiemus. Testantur id potu madidi & lachrymantes oculi, ac destillationes narium, oraque non raro tam salivosa, ut fere sputi finis non sit. Vulgo hypochondriaci, ob tardiores humorum serosorum circuitum, quo plus feri in fontibus salivalibus secernitur, sputatores dicuntur. Id quod iis imprimis evenire solet, qui illa victus ratione delectantur. Immo vero hinc non modo caput, sed etiam pulmones, membraque alia, fluxione tentari multiplici, & varie affici videas, cum ab eodem materiae fomite, qui una cum sanguine per vasa corpus circuit, pars quaedam, nunc per apices arteriarum, quos vocamus glandulas, in locis quibusdam exundat, nec raro hic illic in cava corporis excidit, nunc per cœcos partium meatus furtim irrepit, atque in cruribus, brachiis & partibus corporis aliis veluti rei cuiusdam viventis, & hinc inde discurrentis, motum, ac sæpe morsiones & quasi incessus subreptitios formicarum parit, nunc in ultima corporis con-

finia



finia artusque relegatur, & copia pariter ac qualitate naturæ ubique negotium facescit. Quo loco videant ii, quantum a scopo aberrant, & peccent, qui falso persuasi, illam potandi rationem hypochondriacis, calculosis, arthriticis & aliis prodesse, cum deinde catarrhi, dolores capitis ac partium aliarum ingruunt, oculique madidi lachrymis stillant, membra dilaniant, & incisis iniustisque fonticulis, noxios humores ab afflictis membris avertere detrahereque tentant, & nunc caput, modo totum corpus variis remediorum generibus affligunt, nec raro graviora mala accersunt. Qui si ad illum, quem laudant, diætæ errorem, tanquam fontem, a quo humor noxius manat, attenderent, tam magnum remediorum apparatus inutilem facile agnoscerent, nec laniatu corporis, sed parsimonia & subtractione cibi potusque, succurrere studerent. Prudentis est medici animum & mentem adhibere, quo, ut præcepit *Hippocrates*, optimus rerum in tota medicina gerendarum magister, *II. de morb. popul. Sect. I.* occasiones morborum, unde quis ægrotare cœpit, præcidantur, ipsaque eorum origo inveniatur & obturetur; ac providere, ne dum boni officii specie ægrotantium calamitatem elevare conatur, eos cura-



curatione tumultuaria ac temeraria in maiores ærumnas coniiciat.

## XII.

**Q**Vo autem porro appareat, quænam alia nobis damna illa colluvie aquarum evenire soleant, id quidem existimarim a quovis facile intelligi, hanc unam e præcipuis lapidicinæ causis in nobis existere. Cum enim tanti aquarum rivi assidue fere renes pervadere vix possint, quin fines arteriolarum, ductu serpentino tubulis renum, quos producunt, coniuncti & continuati, plus æquo distendantur & tumeant, fieri omnino debet, ut si eæ arteriolæ aquis ita oppleantur, ut ultra tonum distractæ & laxatæ, resilire satis & contrahi, vimque humorum ferosorum per illos renum angiportus, five tubulos, debito vigore compellere haud possint, solito tardior fiat & difficilior transitus urinæ, & pars eius tenuis & aquosa per illas angustias defluat quidem, pars vero quædam dura facile inibi hæreat, & congesta paulatim ac cohærente simili materia, in arenulas demum & calculos concre scat. Accedit, quod copiosi usu potus multa ex intestinis impura crassa-que per laxata chyli itinere in sangvinem, ex eo-  
que



que in renes convehantur, & contactu suo atque cohæsione facili generationem calculi & augmentum procurent, præsertim si ex cibo potuque, ad id accommodatis, veniant, aut quædam gentilitia & hereditaria diathesis adsit, cuius tantam esse vim experimur, ut eam vix effugere queat, qui patre lapidoso sit satus. Quare in eo quidem facilior est, quam in aliis, calculi proven- tus. Nam etsi in quovis corpore adsit materia calculi: tamen ea non tam facile coit & con- crescit, nisi vitietur tonus & vigor renum expul- sivus. Vnde rene altero bene habente, alter cal- culosus esse solet.

### XIII.

**E**Adem est arthritidis ratio, ubi in articulos re- legata, superflua & reiectanea feri crudi crassi- que portio, irretita multiplici vasorum & ductuum, qui cartilaginea ossium capita, & tendines mem- branasque muscutorum, ac ligamenta pertrans- eunt, implexu subsistit, & affluentis humoris im- pulsu allidens ad scopulos, vasa illa & ductus partes- que impetu ac mole tendit, gravat & premit, tum coniuncta acrimonia pungente, veluti aculeis, ro- dit & lacescit, ac sensim vacua articulationum par-  
D tium-



tiumque ambientium spatia adoritur, partim per ligamenta & tendines, ipsosque musculos diffunditur. Quod hoc quidem facilius evenire solet, quo magis frigore, compressione, humectatione, laboribus, otio, venere, baccho, intemperantia, in articulationibus laxati & debilitati sunt ductus isti excretorii, quibus roscida illa adducitur mucilago, qua delibutæ iuncturæ osium facilius & sine offensione moventur, perinde ac imbutis ungvine modiolis, commodius rotæ volvuntur. Huc etiam referendam esse ingenitam atque hereditariam artuum imbecillitatem, magno suo incommodo multi experiuntur, qui arthritica stirpe sati, nisi caute sibi prospiciant, prius mali illius, quam possessionum, heredes fiunt. Nam semini nescio quæ vis impressa est, quæ ut valet ad speciem, ita latenter morbosam diathesin devehit & transfundit, & ut mores ingenerantur a stirpe generis & feminis, ita est ea diathesis ingenita, atque ea vis semini insita veluti tradux est censenda.

## XIV.

**H**is vero morbis, quos consuetarios potus copiosi diximus, merito hypochondriacum addas.



addas. Nam qui morbum hunc fœdam esse novit humorum serosorum colluviem, non tantum primas vias, ventriculum & intestina, sed & horum non minus, quam hepatis ac lienis, vasa, per quæ difficilior, propter singularem his visceribus per venas circuitum, progrediuntur, infarciendum, in potu multo non remedium, sed causam eius morbi quæret, neque adeo difficulter capiet, ideo, quod hypochondriaci vulgo dicantur sicci, potum copiosum non requiri. Siquidem sicci sunt humiditate bona, roscida & naturæ corporis convenienti, quamvis colluvie serosa & excrementitia squaleant, ut ventriculus humiditate natans, & muci sputique copia, atque catarrhus multis fere perennis, fluxioque multiplex, & similes ostendunt affectiones, quæ vasorum sero repletorum sunt symptomata, & multitudine potus invalescunt. Contra melius comperimus plerosque habere hypochondriacos, qui corpus diætâ ficcant, & remediorum usu antiscorbuticorum, divisionem humorum augentium, ac detergentium, tum & eorum, quæ per primas vias, ac renum cutisque meatus, humorum saburram eliminant & corpus perpurgant.



## XV.

**N**ondum hic subsistit inimica nobis seges malorum, quæ ex copiosa potus materia dimanant. Nam ubi ea immoderatus in vasis excrescit, necesse est, & tritum minimorum, quo divisio partium sanguinis nititur ac sustentatur, cohæsiōque prohibetur, & robur ac tonum fibrarum quarumvis motricium ac nervosarum, & motum adeo cordis & viscerum aliorum, circuitumque vitalem, & quæ ab eodem pendent, secretiones derivationesque succorum, magis magisque languescere, & sanguinem sero, vel tenui & aquoso, vel crassiore, sic demum abundare, & ferescere, ac lentescere, ut nec vitali membra calore reficere, nec salutarem quibusque succum impertire, neque adeo sic fulcire amplius vires corporis possit, quin vividi gratia coloris decorisque pereat, & malus corporis habitus, ac sæpe obesitas quædam fallax & apparens, & varia viscerum vitia oriantur, ac totum paulatim corpus concentu & harmonia sua excidat, lassusque homo & segnis animo pariter ac corpore reddatur. Recte *Hippocrati lib. I. de morb.* sanguis ad sapientiam facere dicitur, id est, dum sanguis rectam compagem suam



suam & consistentiam habet, motuque vivido per vasa cerebri fertur, ac immisi vigore succi fibras nervorum satis erigit ac intendit, homo mente constat, & suis ipsum viribus ingenium valet, præsertim si industria alatur & elaboretur. Sed cum aquosis lentisque auctus humoribus, sanguis a sua crasi & motione desciscit, & serosi onere humoris cerebrum ac nervos ita gravat, ut potu veluti madeant, necesse est, vi unionis & nexus, qui inter animum & corpus arctissimus intercedit, mutetur vigor sensuum, atque impediat vis animæ, qua cogitamus & sapimus, & prout ita vitiatus sanguis sua mole vasa cerebri ac nervorum magis vel minus infarcire valet, quidam caput totumque corpus degravantis molestiæ sensus, atque ad agendas res segnities quædam & obfuscatio mentis ignava, ac somnolentia, oblivio, vertigo, tremores artuum, & plures tandem affectus alii graviores oboriantur.

## XVI.

EX his opinor, patet, quo in errore versentur, qui potu largiore, tanquam præsentis quodam remedio, corpus egregie humectari & refici, atque adversus siccitatem & malum hypo-



chondriacum, ac infirmitates alias muniri ac defendi, vitamque produci sanam, existiment. Id sane iam nemini non perspicuum esse potest, eo modo potum non ad necessitatem, sed ad voluptatem & intemperantiam, foecundam multorum morborum procreatricem, sumi. Intelligitur etiam, illa potandi consuetudine vix vitari ebrietatem posse, praesertim si quis liquoribus vini æmulis atque inebriantibus delectetur. Multa de hoc argumento adhuc dici potuisse fateor: sed nos quidem hic potissimum ad quantitatem potus, inter prandendum cœnandumve sumendi, respicere volumus, cum ceteroqui pro varia eius qualitate, ea, quæ diximus, mala accelerari, pluraque præterea alia excitari possint. Vt enim aqua aquæ similis esse nequit, & magna frugum ac fructuum, rerumque aliarum, ex quibus potus fiunt, est varietas: sic potus ex iis fiunt varii, qui proinde & indole sua varia, ac prout vetusti, vel recentes, adhibentur, varie nocebunt. Nam cervisias plerasque medicatas esse, & alias alia, ac speciali ratione, prout aqua constant varia, & peculiaria ingredientia admittunt, satis res ipsa docet, & præclare notavit *Schookius, Lib. de Cervisia.*



## XVII.

**N**Eque demum parvi rem momenti putabimus, potum quotidianum maiori copia sumi, si cogitaverimus, parva esse magnorum morborum initia, & huiusmodi potissimum erratis, quæ & sensibus grata sunt, & vitæ conducere videntur, graves vitæ insidias strui, & paulatim quidem & clanculum valetudinis fieri dispendium, sed eo tamen & senectutem, & morbos, futuri interitus nuncios, accelerari. Cuius quidem rei nos commoneant quotidie obvia eorum exempla, qui ea victus ratione magnum vitæ intulerunt damnum, & variis tentati infirmitatibus, ætatis suæ limites anteverterunt. Hæc inter ceteros perspicuus insigne illud temperantiæ exemplum, Ludovicus Cornarus, Nobilis Venerus, ad duodecim uncias cibi vix unquam trientem supra libram potavit, ut refert *Tr. de vitæ sobriæ commodis*. Quibus rebus factum est, ut, quod nec ipse, neque alii remediis assequi potuerint, temperantia obtineret, & conservato valetudinis robore, ad centesimum ætatis annum veniret. Nam qui temperantia se munierit, morbis non facile patebit.



## COROLLARIA.

### I.

**P**otus inter prandium & cœnam nocet :  
sed si tantundem minus in cœna potamus,  
tollitur nocumentum. Sanctior. S. III.  
Aph. XCVII.

### II.

Male vitæ consulunt, qui quotidiano, eoque plurimo, decocti fabarum Coffe, vel Theæ, aut alius herbæ, & cuiuscunque pseudotheæ, potu vitam sanam servare student.

### III.

Minus vitæ prospiciunt, qui liquoribus ardentibus, sive meris, sive multo lenocinio medicatis, quos aquas vocant vitæ, itemque stomachicas & carminativas, quotidie mane, vel inter prandium cœnamve, utuntur. Nam aquæ huiusmodi vitæ plerisque sunt aquæ mortis.

### IV.

Vna salus sanis nullam potare salutem.  
Non est in pota vera salute salus.